







22

F. 11, Num. 16.

18

PETITIONE

RENOVATIONIS INVESTITURAE

QUOVIS MODO NEGLECTA

1771, 2

FEVDVM AMITTI.

PROLVSIONE

APERIENDIS SCHOLIS HIBERNIS PRAEMISSA

DISSERIT

GVILIELMVS AVGVSTVS RVDLOFF

PHILOS. ET IVR. DOCTOR ATQVE SERENISS. DVC. MECL. PROFESSOR ORDINARIUS NEC NON COLLEGII IVRECONSULTORVM ASSESSOR  
IAM ACADEMIAE FRIDERICIANAE RECTOR.

BVEZOVII

IN LIBRARIA BERGERIANA

MDCCCLXXI.



ingu-  
-quu-  
gene-  
MERI  
perill.  
hifo-  
m ad  
cepta,

p. 242





11

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern due to fading and staining.

H  
ad  
qu  
ip  
tra  
fe  
op  
et  
mi  
ne  
bo

lit  
pr  
lu  
qu  
ne  
in  
fo  
et  
na  
ce  
fla  
ru





## §. I.

**F**EVDA nostra ex prima sua, seu beneficiorum, indole in heredes haut transiisse constat, sed mortuo vasallo deuoluebantur ad dominum, qui libere iterum, cui vellet, ea concedebat. Neque igitur ac filios pertinuit patris beneficium, nisi noua inuestitura ipsis a domino constitutum. Ex quo autem posthac in heredes transire coeperunt, quemlibet pro se et suis descendantibus de feudo inuestiri, inualuit, sicque noua eius inuestitura non amplius opus fuit filiis, quibus ipsa inuestitura patri facta iam proficua erat, et ad quos feudum a primo vasallo acquisitum iam ipso iure transmitti dignoscebatur. Iam igitur *pater hereditat in filium possessionem, sicut et beneficium, propter quod non eget filius, ut demandari bona patris sibi faciat a domino<sup>a)</sup>*.

Successores feudales amplius noua non indigent inuestitura.

a) VET. AVCT. DE BENEFICIIS c. 1. §. 24.

## §. II.

ENIMVERO primo sicut ex ipsa feudi notione propter illad fidelitas a vasallo praestanda est, ita ipsam specialiter a vasallo domino promitti hancque fidelitatis promissionem iure iurando firmari voluerunt maiores. Quum autem generatim in alterius animam, quod vocant, iusiurandum plane nostratibus fuerit incognitum, nec praesentem vasallum pro successoribus iurandi religionem interponere, nec interpositam successores stringere posse, hinc personalem tantum esse fidelitatem, credidisse dicendi sunt. Proinde et fidelitatis iuramentum, uti leges feudales illud nobis exhibent<sup>a)</sup>, non nisi pro vasallo iurante, et in praesentem dominum conceptum, minime vero gentium etiam pro successoribus illud praestari mos erat. Iam vero in iis temporibus turbarum et dissidiorum plenis, ubi ius omne in viribus positum videbatur, sine va-

Tamen I) praestandum erat a quolibet successore de nouo fidelitatis iuramentum.



#### IV

fallorum ope, in quorum seruitis militia fere omnis consistere dignoscebatur, vix sibi consulere poterat dominus, tantoque magis eius interfuit, quemcunque eorum omni meliori sibi deuinctum, et eius fidem habere expertam, atque sic, vnumquemque vasallum iureiurando domino suo obstrictum esse debere, requirebatur. Qua igitur propter, licet feudum ad successores ipso iure transfret, tamen fidelitatis iuramentum a successore vasalli et successori domini de nouo praestandum necessarium ducebatur, quod *hominium suum praebere, seine Mannschaft bieten* appellat leges<sup>b)</sup>.

a) II. F. 7.

b) VET. AVGT. DE BENEF. c. 1. §. 47. I. F. S. a. 22. I. F. A. c. 43.

#### §. III.

II.) vt feudum a domino cuique successori concedatur, voluerunt nostrates.

FORRO, quum ab origine feuda hereditaria hant fuerint, ex vetere eorum indole, vt magis obnoxius efficiatur vasallus, id seruare voluisse videntur nostrates, vt agnoscat vasallus, se feudum, licet successione ad se deuolutum, domino debere, a quo per primum adquirentem in ipsum sit profectum. Quapropter, quamuis feudum ipso iure ad ipsum pertineat, nec a domino ipsi adimi possit, in memoriam tamen eius, quod olim non fuerit sic, vt ab eo illud poscat et sibi concedi roget, et ad preces vasalli a domino ipsi iterum illud concedatur, atque hac ratione vasallus feudum domino suo perpetuo referat gratum, moribus videtur placuisse antiquis. Ita rem exponit VETVS AVCTOR DE BENEFICIIS c. 1. §. 47. "*Homo dum domino hominum praebet, haec verba non omitrat: Domine inbeneficiari a vobis desidero bonis, quibus de iure debeo,*" — et §. 51.: "*Domini omni tempore et vbiq; hominem debet inbeneficiare, dum homo petit beneficium suum secundum modum supra dictum.*" Conspirat I. F. S. a. 22.: "*Sus soll der*"  
*"Mann*



"Mann sprechen, als her fines gutes sinnet mit gefaltene banden.  
 "Herre ich sinne an uch so getanes gutes als ich mit recht an uch ge-  
 "bracht habe,, — ; et I. F. A. c. 43. §. 3. "Alsus sol der Man spre-  
 "chen so er fins gutes mit gewugen Henden gert (begehrt) Herre ich  
 "vordre von uch so getan gut, als ich mit rechte an uch bracht  
 "han,, — ; eodem modo inscribitur c. 58. von Leben Vorderunge,  
 quod statuit: "Stirbet ein Mann und lot Sunc hunder Ime — Sü sul-  
 "lent komen fur iren Herrn und soll ir einer an fins Vettters stat ir le-  
 "ben vordern,,. Clare satis idem quoque innuit litterarum, quas  
 successoribus a domino expediri, mos est, communis formula anti-  
 qua, semper hunc in modum concipi solita: "Wir — bekemen —  
 "dass für uns kommen ist der, — und bate uns mit Fleiße, dass wir —,  
 "ihm alle seine Leben — zu verleihen, geruheten, des haben wir an-  
 "gesehen seine redliche Bete — und nabmen von ihm gewöhnliche Hul-  
 "dunge und Eide, und haben ihm mit wohlbedachten Mute und rechter  
 "Wissen alle solche seine Leben, die er inne hat und herbracht hat, ver-  
 "leihen,, &c. Quae omnia, quam egregie genio Germanorum  
 conuenerint, optime docet resignatio et inuestitura allodiorum,  
 cuius nempe nec rectior origo, nec ratio iustior allegari potest,  
 quam quod nostratibus priuatus quilibet, allodiorum suorum domi-  
 nium reipublicae origine tenuis debere, habitus sit, vnde hant aliter  
 ea in alterum transferenda putarunt, nisi vt alienaturus, quod a  
 republica acceperat, dominium, eidem resignaret, atque ab ea  
 expeteret, vt alteri illud iterum conferret, iusque ipsius ex pacto  
 inuito confirmaret<sup>a)</sup>. Quidni igitur magis ex majorum moribus va-  
 fallus multo specialiori nexu domino suo obnoxius, feudum ab hoc  
 profectum, ac ne in suo quidem pleno domino constitutum, suc-  
 cessione licet sibi delatum, domino directo referre teneatur?



## VI

a) Ita naturam resignationis allodiorum docta commentatione euoluit  
 VERPORTEN *de inuestit. allod. §. 25. p. 33.*

## §. IV.

III.) In aliis negotiis olim non hereditariis consueta erat renouatio.

TANDEM in aliis negotiis iuris patrii, in quibus praeter iura possessori rei competentia alteri quaedam reseruata sunt, atque ab origine penes possessorem ius hereditarium haut adfuit, sed post demum stabilitum est, id inualuisse deprehendimus, ut certis temporibus, contractus renouatio celebretur. Ita hanc in praediis rusticis, censiticis, villicibus vsu venire et obseruantia et praxis testes sunt. Videtur isthaec consueta renouatio tum ex pristina negotii indole, quo ius hereditarium nondum competeat, sed noua semper opus erat concessione, mansisse superstes, adeo ut fere vbique iuris hereditarii olim non existentis certum haberi queat iudicium, tum ad nexum, qui iam, introducto iure hereditario, multum laxior esse deprehenditur, et facilius euilescere posset, integrum seruandum, iuraque praecipue alterius, qui in possessione rei haut est constitutus, salua et illaesa efficienda esse comparata. Eamque in primis celebrari mos est, sicubi in alterutra persona, quam negotium concernit, mutatio accedit, siue quod possessor rei, siue alter, cui certa iura reseruata sunt, mutetur, id quod tanto magis videbatur conuenire, quum et in vtroque mutationis casu iurium, ad quae conseruanda tendit, discrimen sit facillimum, et in priore casu iure antiquo, ex quo ipsam renouationem descendere veri simillimum est, noua semper concessione fuerit opus. Horum autem omnium, quae exposuimus, par omnino ratio in feudis esse inuenitur, hinc nec mirum, etiam in ipsis contractus renouationem placuisse maioribus \*).

a) Conf. perill. G. L. BOEHMERI comment. *de inuestit. simultaneae et essentialis non desiderata renouatione c. II. §. 42. seqq. p. 49. seqq.*

## §. V.



## §. V.

IAM quum I.) repetenda a quocunque vasallo fidelitatis promissio iuris iurandi religione firmata ad inuestiturae actum pertineret, II.) quam iterari a domino voluerunt maiores concessionem feudi successori faciendam, inuestitura fieri et mores seculi et feudorum indoles poscerent, et III.), quum ipse contractus feudalis primus inuestitura celebretur, et renouationam ipsius renouata peragi inuestitura conueniret: factum sic est, vt, quamuis ipsa prima inuestitura feudum omnibus ab eius primo acquirente descendentibus iam constitutum, hinc hereditario iure quaesitum sit, tamen a quocunque nouo feudi successore, et quauis mutatione in domini directi persona accedente, inuestiturae renouatio a vasallo petenda, a domino concedenda sit.

Sic ortare-  
nouatio inue-  
siturae.

## §. VI.

HVIC quidem renouationi inuestiturae introducendae primam occasionem dedisse videtur ius antiquum, quo noua domini concessio opus fuit ad feudum defuncti vasalli sibi habendum, ita vt, iam, hereditario stabilito iure, quidem noua inuestitura cesset, tamen eius loco, vbi antea intercedebat, repetitio anterioris inuestiturae substituta sit <sup>a)</sup>. Enimuero praeter praestandum nouum fidelitatis iuramentum, quod proprie ad antecedentia renouandae inuestiturae retulisse videntur Germani <sup>b)</sup>, eius praecipuam in ipsa moribus patriis rationem esse habitam deprehendimus, vt ita vasallus, feudum a domino proficisci agnoscere debeat. Hoc intuitu ex *una parte petitum* a vasallo esse feudum sufficere iam credebatur, vt, domino sine iure inuestituram dare renuente, illud nihilominus obtineret <sup>c)</sup>. Id quod eo magis conueniebat, quum *et* rogato feudo suo officio functus esset vasallus, nec amplius aliquid

Considera-  
tur ex mori-  
bus Germa-  
norum.

ab



## VIII

ab ipso fieri potuerit, *et*, iura eius ex prima iam inuestitura quaesita iniusta domini detractione imminui, nefas foret. Ex altera autem parte tantum ab hac petitione pendere voluerunt, ut, ea haut facta, sola successione efficaciter et legitime feudum acquiri et teneri a vasallo, negauerint sed, inuestiturae petitionem accedere debere, arbitrati sunt. Ita filii post mortem patris feudum ad se transmissum petere a domino iubentur I. F. A. c. 43. et 58. I. F. S. a. 22. Ita tunc demum iure feudum habere dicitur vasallus, si illud petierit uti iustum est *und heit sin gut mit rechte wenn er es gefordert heit, als recht ist* I. F. A. c. 45. §. 1. Ita dominus vasallis suis feudum concedere nondum posse dicitur, dum ipse inuestitus non sit. I. F. S. a. 27. I. F. A. c. 53. 105., nec tenentur ab ipso feudum petere vasalli, I. F. A. c. 48. Ita vasallus de testibus sibi prospicere debere asseritur, quibus factam petitionem poterit probare, si in dubium a domino vocetur, quippe quod a probatione rite peracta ius omne vasalli pendere videbatur. I. F. A. c. 43—46. c. 80., I. F. S. a. 22. et 37. et quae sunt complura alia maiorum placita, ex quibus abesse necessariam putatam videmus feudi petitionem, ut legitime habeatur a vasallo. Qua igitur propter, si quid recte video, petenda isthaec inuestiturae renouatio cum tanquam actus in honorem domini, cui ita acceptum fertur feudum, comparatur, tum etiam uti aliquid a vasallo, ut feudum legitime sibi habeat, necessario et praecipue observandum habita nostratibus dicenda videtur.

a) Vid. perill. BOEHMER l. all. §. 40. p. 47. seqq.

b) Ita prius hominum offerri, post feudum peti, tradit VET. AVCT. DE BENEF. c. I. §. 45. seqq. I. F. S. art. 22. et I. F. A. c. 43. Secus visum est Italis, quibus inuestitura praecedere dicebatur fidelitatem I. F. IV. pr.

c) Conf. VET. AVCT. DE BENEF. nec non I. F. S. ac I. F. A. loca all.

§. VII.



## §. VII.

HISCE igitur consequenter, haut petito feudo, *negligebatur* a vasallo requisitum necessarium, sine quo legitime non haberi feudum, iudicarunt nostrates. Iam autem, sicuti ob negligentiam per definitum tempus *praescriptione* ius amitti et exstingui, testatum est, ita moribus maiorum, quibus communiter praescriptionem anni et diei lapsu absolutam fuisse scimus, amissa habebantur iura, si, quae observanda fuerant, intra annum et diem observata non fuerint, et in primis quoque, si *petitio* eius in quod ius tibi competit, intra annum et diem facta non sit. Sic delatam hereditatem, si intra annum et diem haut petatur, amitti, asserit I. P. S. L. I. a. 29. et, quae cum eodem consentit, magna statutorum copia. Sic ius retractus amitti constat, si res retrahenda intra annum et diem non sit petita. Sic, qui expectativa munus est, si feudum domino apertum intra annum et diem non petierit, amisisse illud dicitur I. F. S. a. 7. et I. F. A. c. 15. Hac analogia in renouatione inuestiturae vsi nostrates, quum feudi petitio necessario fieri debeat, ea neglecta, perinde ac praescriptione vasallum feudo excidere statuerunt, atque ita, quum communis praescriptionis terminus, intra quem et alias petio facienda, annus et dies sit, naturali ratione intra annum et diem, *Iabreszahl* adpellant, quoque renouationem inuestiturae sub feudi discrimine rogandam esse rati sunt<sup>o</sup>). Quas quidem rationes hic iniisse, et ista ratione praescriptionis analogiam sequutos hic esse maiores I.) iam ex ipso termino annali adparet, saltem admodum probabile est, quippe quem non tantum praescriptionem patriam continere, sed et huic tantum propriam esse, constat. Idem II.) ex eo colligere licet, quod vasallus, petitione non facta, *sich versäumen* dicatur I. F. S. a. 22. 50. et 52. I. F. A. c. 89. §. 4., quam autem vocem, perinde ac *sich verschweigen*,

Vbi, intra annum et diem ea non facta, feudum praescriptum censetur.



praescriptione ius suum amittere, tantum non utique deprehendimus denotare. Sic, exemplo, in statuto Mulhusano <sup>b)</sup>) legitur: "Ist her abir uzwendig Landes so enmag her (das Gut) nicht vorfumen bie dritzig jaren und bie eine tage, tot her das nicht bin der zeyt, So hat her sine vorderunge verlorn und sal an deme gut keyn "recht beholde <sup>c)</sup>.". Sed et III.) mores nostri feudales multis locis diserte neglectam feudi petitionem praescriptioni equiparant, et, ea intra annum et diem non facta, feudum praescribi, verjahren, enunciant. Sic I. F. S. a. 1., statuitur: "Let aber ein herre einen "man scezen mit sine gute jar und tac ane rechte widersprache als er "durch recht sal die wile her fines gutes sinnen sal — en mac her sinen "herren an deme gute nicht vernen ab her veriahret sich und ab "erz sich an einen andern herren zuhet der herre an beheldets als rechte "ist"; porro a. 18: "Ab der herre sine manne zu lenrecht geteydinet binnen der teidengenem ist her nicht ppflichtig zu antwortene deme "manen ab her in ichtes schuldiget die wile sin sache ungeendet ist wird "aber des herrn lenrecht gecristet mit urtheilen und erstirbet deme "manne ein gut an ez si gedinge oder len des her an den herren sinnet "oder bitet zu behaltene mit rechte der herr sal im lenrecht tun mit "rechten binnen sinen teydingen wiewol des herrn schuldigunge unverendet sy der herre mögte anders an seiner schuldunge tagen den man "biz daz he sich veriahret an seiner synnung"; item a. 24.: "der "man erwirbet mit dem sinnen nicht mer den ab in der her schuldiget "daz her sich gein im veriahret habe daz her sine unschuld desto "warlicher getun mag"; nec non a. 29.: "Stirbt ein Man der Son "bat binnen der jarzale daz her sin gut emphaben sal darmete en ist "deme Sonn daz gut nicht gevernet ob es wol sin vater nicht entphan "gen het die wile her sich auch nicht veriahret an habe"; atque a. 44.: "ob der Herre den man beschuldiget daz her sin gut veria-



“ret habe an sinende.„ Similiter inuenimus in I. F. A. c. 58. §. 1.  
 “Sü (filii nempe) sullent komen sur iren Herren und sol ir ciner an  
 “sins Vatters statt ir leben vordern — das sol er tun ee das es sich  
 “verier.„; et ibidem c. 80. inscribitur: “der sin gut veriert.„ et  
 disponitur §. 1.: “obe der Herre den man schuldiget das er sin gut  
 “veriert habe, das es nit gefordert habe.„

- a) Vid. VET. AVCT. DE BENEFIC. c. I. §. 77. I. F. S. a. 31. IVS FEVD.  
 CAESAR. a. 30. I. F. A. c. 60. §. 4. c. 103. §. 8. c. 104. cet.  
 b) GRASSHOFF de originibus et antiquitatibus S. R. I. liberne ciuitatis  
 Muhlhusae Thuringorum p. 150.

## §. VIII.

IDEM spatium anni et diei quoque petitioni feudi iure feudali  
 Langobardico praefixum est, et, quum hic terminus annalis mere  
 Germanicus sit, ex moribus Germanorum in Italiam transiisse vi-  
 detur. Verum isto iure haec petitio feudi potius vt officium fideli-  
 tatis domino a vasallo debitum considerata est, qua propter, negle-  
 cta ea, fidelitatem suam violasse atque ingratus erga dominum existi-  
 tisse dicitur. Iam quum violationi fidelitatis poena priuationis  
 feudi statuta sit, intra annum et diem petitione feudi haut facta, fe-  
 loniae reus sicque feudo priuandus existimatur. Ita praecipit I. F.  
 22.: “Sancimus, vt nemo miles ultra annum et mensem vadat, vt  
 “inuestituram beneficii sui a filio vel successore domini sui petat, vel  
 “post mortem domini sui, vel patris sui, vel alterius, cui succedere de-  
 “bet — et si non peterit damnetur.„; et II. F. 24. pr.: “prima au-  
 “tem caussa beneficii amittendi haec fuit, et adhuc est in plerisque cu-  
 “riis — quod si vasallus per annum et diem domino suo mortuo steterit,  
 “quod heredem domini sui, inuestituram petendo, fidelitatem pollicen-  
 “do, non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit;

Confidera-  
 tur ex iure  
 Langobardi-  
 co.



## XII

“ac e conuerso, si domino superstito uasallus decesserit, et filius eius  
 “per iam dictum tempus neglexerit petere inuestituram, beneficio care-  
 “bit.” Hac quidem ratione ita mores patrii et Langobardorum  
 iura a se inuicem differre videntur, vt ex illis inuestiturae petitio  
 magis ad modum feudum legitime sibi habendi, ex his contra vnice  
 ad officia fidelitatis domino praestanda relata sit, hinc ex illis, ea  
 per annum et diem omissa, uasallus, ceu necessario requisito in-  
 tra tempus legitimum neglecto, iure suo excidisse, ex his autem,  
 tanquam fidelitate feudali violata, in poenam feloniae condem-  
 nandus, sicque feudo suo priuandus esse videatur. Consentient  
 tamen, petitionem renouationis inuestiturae intra annum et diem  
 faciendam a uasallo esse, eaque non facta feudum amitti.

## §. IX.

Proponitur  
 quaestio con-  
 trouersa.

IAM autem, tantumne dolo, an quomodocunque, siue dolo,  
 siue culpa, incuria et negligentia per annum et diem renouatione  
 inuestitura haut petita, feudum perdat uasallus? celebris agitur  
 quaestio. Celebris inquam a summis uiris VOCKELIO <sup>a)</sup>, MENCKE-  
 NIO <sup>b)</sup>, BAVERO <sup>c)</sup> et, qui adhuc non inclutam Georgiam Angu-  
 stam solum, sed iurisprudentiam ipsam, immo, uniuersam rem  
 litterariam egregie ornat, G. L. BOEHMERO <sup>d)</sup> in utramque partem  
 disputata. In tanta uirorum celebritate sententiam dicere, licet  
 piaculum sere uideri possit, tamen, quae est inter eruditos sentiendi  
 scribendiue libertas, modeste rationes exponere, nec graue futu-  
 rum esse, nec temeritati vel arrogantiae ductum iri, existimari.

- a) De omissione renouationis feudalis non dolo facta hodie et praeser-  
 tim in Saxonia ad amissionem feudi non sufficiente Lips. 1728.  
 b) De poena priuationis feudi in uasallum dolo vel negligentia inuestiturae  
 renouationem non petentem legibus statuta, in opusculis p. 1. seqq.

c) De



c) De communi Saxonum manu ob neglectam renouationem amissa  
Lips. 1746.

d) In docta commentatione de inuestiturae simultaneae eventualis non desiderata renouatione Coett. 1741. c. III. §. 59. seqq. p. 67. seqq. nec non in eximii pretiū libello de indole et natura expectatiuae et inuestiturae feudalis, et de huius renouatione. Coett. 1747. c. V. §. 12. seqq. p. 175. seqq.

## §. X.

QVODSI primo ista quaestio, semotis adhuc legibus et moribus feudorum, ex sola analogia iuris communis spectatur, omnino ista petenda inuestiturae renouatio instar *modi* censenda erit, quem vassallus adimplere ex nexu feudali obstringitur. Quemadmodum nempe, feudum vassallo sub obligatione fidelitatis praestandae concedi, dubium non est, ita hanc fidelitatem modum esse, quem dominus a vassallo in constitutione feudi intendit, negari nequit. Sed ad ipsam illam fidelitatem vassalliticam iure Langobardico petitionem renouationis inuestiturae referri videmus, quae propter et haec sane instar modi hanc iudicari non potest. Tantum quidem abest, ut eorum sententiam amplecti audeam, qui, violationem modi quamcunque pro conditione resolutiua iure ipso habere cupiunt, ut potius in se, non praestito modo, ad ipsius vnicuique implementum agi posse iudicem. Omnino tamen, si inter partes ea ratione modus statutus fuerit, ut eodem violato negotium resoluatur, vis ista ipsi denegari hanc poterit. Iam autem ita hanc petitionem inuestiturae renouationis inter dominum et vassallum censendam esse, vel exinde patere arbitror, quod, ea hanc facta, feudum amitti, leges iubeant, id quod ipsum hoc esse animaduvertitur, quod propter violationem modi negotium constitutionis feudi

Eaque A.)  
spectatur ex  
analogia iuris  
communis, L.)  
ex natura modi.



## XIV

resoluitur. Enimvero si ista ratione sub modo facta sit concessio, ex ipsa natura conditionis resolutivae, quam nunc modus imitatur, culpae tantum, a dolo? factum haut fuerit, attendi nequit, sed vnicè utrum sequutum sit implementum, an minus? inspicimus, ac, posterius si deprehenditur, citra doli et culpae respectum resoluitur concessio. Eadem igitur et ratione in omiſſa feudi petitione ex hac analogia nec dolus, nec culpa in censum venire potest, sed ad effectum amissionis feudi nil praeter solam omiſſionem, quae fieri debuerit, petendae renouationis, attendere valemus.

## §. XI.

II.) ex natura poenae.

SED si forte priuationem vel amissionem feudi cum Iure Langobardico poenam dicere malis ob neglectam renouationem inuestiturae in vasallum iure feudali in vasallum statutam, nihilo minus ad solum dolum referri non poterit. Isthaec enim poena, licet ex ipsis legibus oriatur, tamen I.) vnicè ex eo, quod contractus feudalis intercesserit, ad cuius naturam leges hanc hanc priuationem retulere, locum habet, hinc II.) domino directo, non qua superiori, sed qua contrahenti, qui propter contractum feudalem ad illam ius nanciscitur, debetur, sicque III.), quod aiunt, ad eius *interesse civile et patrimonium* tantum spectat, et hac igitur ratione IV.) *mere priuata*, et causa hanc priuationem concernens mere civilis dicenda est. Ast in omnibus causis, quae ad civile interesse tendunt, hinc quoque in poenis priuatis dolum et latam culpam eodem censu haberi, argumento l. i. §. i. D. si mensor fall. mod. dixer. consentiunt omnes, atque *magnum culpam dolum esse* ipsa l. 226. D. de verb. significar. tellis est. Qua igitur propter non solum dolum, sed certe quoque latam culpam in neglecta feudi



di petitione amissionem feudi sequi debere hoc ipso iam argumento docemur <sup>a)</sup>).

a) Latius hoc persequitur MENCEN *dissert. cit. §. 27.*

§. XII.

TANDEM quum et moribus patriis et Langobardico iure intra annum et diem petito facienda sit a vassallo, terminum hic *legalem*, ipsa lege eidem praefixum adesse deprehendimus. Atque, quum sub poena amittendi iuris praescriptus esse dignoscatur, ad illud terminorum legalium genus, quos *fatalia* adpellare consueuimus, proxime ipsum accedere, patet. Qua igitur propter, sicut in neglecto termino, in primis fatalis, ad dolum vel culpam negligentis haut respicimus, sed solus lapsus termini amissioni iuris facit locum, ex hac quoque analogia non potest, quin renouatio inuestiturae petenda spectetur. Qua itaque intra praescriptum tempus, quocumque modo, nec doli, nec culpae habito respectu, haut facta, amissio feudi statuenda videtur, eoque iustius quidem, quum *indulto feudali* rogato termini prorogationem obtinere liceat vassallo, et sic sibi habeat, quod alterutra ratione, siue inuestiturae renouationem, siue indultum petendo, sibi suisque rebus melius non consuluerit.

III.) ex natura termini.

§. XIII.

ENIMVERO iam missis argumentationibus generalibus potius, quomodo ipso iure feudali de amissione feudi propter neglectam petitionem feudi caueatur, dispiciamus. Merito a moribus Germanicis ordimur, quibus tum vniuersum institutum feudale, tum quoque hic eiusdem rigor suam debere videtur originem. Hos elapsum tempus petitioni feudi praefixum *praescriptionis* instar habere,

B.) ex moribus Germanorum, ex quibus I.) vnicuique ad temporis lapsum respicitur.



## XVI

bere, supra diximus, inque eo ita statuiffe dignoscuntur maiores, ut petitionem feudi necessariam adeo duxerint, sine qua legitime feudum a vasallo possideri nequeat, ea autem intra annum et diem haut facta, ius feudum ulterius adhuc petendi praescriptione extinctum, atque sic, deficiente iure feudum petendi, feudum ipsum amissum censuerint. Qua igitur propter circa amissionem feudi moribus Germanicis nil praeter solum anni et diei lapsum, sicut in praescriptione, attendi posse pronum iam alieo fluit. Et reuera nil amplius attendi, ipsae consuetudines feudales Germaniae testes sunt. Quae enim, ubi de amissione feudi propter non factam petitionem disponunt, vnicuique ad lapsum praescripti temporis respicisse deprehenduntur. Ita VETVS AVCTOR DE BENEFICIIS c. I. §. 77. "Si quis filiorum, inquit, suum negligat terminum ab illo sit diminus solutus ulterius,; similiter I. F. S. a. 31.: "wiltch der kindere sine jarzale versumet von deme ist de herre ledig., Egreggie conspirat IVS FEVD. CAESAR. c. 30. "Der kayser hat allen luden gesatzet dy ezu eren laren kommen sint, onn innwendig landes sint "In cynes larefryste sollen enphain uff dy ez sellet daz se ez besetze solten wer daz versomet an eehaftige nod der erkennenet daz he ez von rechte nicht haben sall sint in dez riches rechte stet geschrebin "Wer dez kayfers rechte ezit versomet der hat keyne me.,; nec non I. F. A. c. 60. §. 4.: "Und versumet der kinder eins sine yores zalle als hievor gesprochen ist von dem si der Herre ledig., Quibus ita constitutis, quum ab solum temporis lapsum, perinde ac in praescriptione feudum amitti dicatur, nil interesse videmus siue dolose, siue negligenter vasallus feudum non petierit, sed utroque casu eodem modo ipsum, feudo excidisse, haberi.



## §. XIV.

INTERDVM quidem lapsum temporis innoxium esse statuere nosstrates, sed non aliter nisi *specialis iusta causa* adfuerit, quae saluum esse sinit ius vassalli. Huc referunt si dominus sit extra regionem, aut vassallo aditum ad se neget, aut si dominus in scio vassallo, vel vassallus ignorante successore in locis extraneis diem obierit supremum, I. F. S. a. 27. "Ist ouch sin herre buzen lande oder "gevangen daz her sinos gutes nicht sinen mag her tut dar lenrecht "mit und underwindet sich zu siner nucz als ob es ime gelegen sie.", I. F. A. c. 92. et 93. "obe der Herre usszer lande ist in des Mannes Iorege- "zahl und er sin gut entphoben solte das schadet dem Manne nüt an si- "nen rechten — Und ist aber der Mann nüt im lande so sin Herre stir- "bet domit got ouch sine Iorezale nüt an — Behütet sich der Herre oder "beschleusst sich uff einer burge das der Man zu Ime nüt kommen möge "das schadet dem Man nüt an sine rechten — Stirbet ein Man Ienethal- "ben meres oder anderwa landes wenne so das die kint Inen werdent "das der Vatter tot ist so got ir Iorzale an ir lehen zu entphobende. "Stirbet ouch ein Herre uszwendig landes unwissende siner Manne wenne "so die Man erste borent sagen sinen tod so got ir Iorezale an ir gut zu "entphobende von sinen lehnerben.",; et generatim si *legitimum impedimentum, castae Noth, echte Noth*, obfuerit, quo minus venerit vassallus I. F. S. a. 26. 1. F. CAESAR. a. 30. I. F. A. c. 47., id quod in specie de quatuor impedimentis *carcere, videlicet, morbo, itinere religioso et seruitio domino praestando* intellexisse deprehenduntur nostri ("). Eo ipso autem, quod definitam iustam causam, vel legitimum impedimentum supponunt mores Germanorum, certum iam est, suam vassallum culpam, quamvis dolus abfuerit, a discrimine feudi liberare, minime gentium habitam esse. Immo potius in genere disertis verbis, qui absque *echastige Noth* terminum ne-

II.) non nisi iusta causa vassallum excusat.



XVIII

glight, cum feudum mittere, declarat I. F. CAES. a. cit. Addit I. F. A. c. 92. §. 3.: "Vert ouh der Man usser dem lande in der yorezale "er lenget sine yorezale damit nüt ob er weys das der Herre tod ist. ", Atque domino vasallum, quod iusto tempore feudum non petierit, inculpante, huius esse dicitur, vt siue iureiurando, siue testibus factam petitionem, sicque innocentiam suam probet, I. F. S. a. 44. I. F. A. c. 80. Atque hoc intuitu quoque mores nostri suadent, vt vasallus feudum petiturus testes eius rei requirat, quo, negante forte domino, in probatione facienda olim non deficiat.

a) I. P. S. L. II. a. 7. "Vier Sachen seyn, die ehafte not beissen, gefengnus, senchen, Walfart auswendig dem Lande und des Reiches Dienst. Welche dieser vier Sachen eine den Man irret das er zu dinge nicht kommt, wirt sie beweiset, als recht ist — er bleibet es on schaden, und gewint tag — als er von der ehafsten not ledig wirt. ", et similiter I. F. S. a. 26. ac I. P. A. c. 274. edit. SENCKENBERG.

§. XV.

Dubio respondetur.

EQUIDEM et de moribus Germanorum aliter rem explicare video, quem honoris causa nomino, perillustrem G. L. BOEHMERVM <sup>a)</sup>, qui nempe ad solum dolum in neglecta petitione feudi eos ratione amissionis respexisse, ex textu I. F. S. a. 7. elicere, ibique vocem *verschmähen* de *contemptu*, sicque functionem hancce de dolo supposito erudite, vti consuevit, explicare conatus est. Locus autem dictus in contextu ita se habet: "Swenen ein Herre "sine manne libet gut waz ez ime erst ledic wirt on siner mannes tode "und anders nicht daran bescheidet der man sal haben daz erste gut "daz deme herren ledic wirt ez si ledic oder verlegen wil oder wenig, "Ietlich unberwifet gut daz dem manne gelegen wird sal her behalten "mit gezuge nach deme ez ime geliben wird de her der gewere an dar"



"bet daz gut daz erst ledig wirt des sal sich der man underwinden ab  
 "si ez mer oder minder denn ime geligen si wend daz her seiner lenun-  
 "gen die velle habe. Ab der man versmat das len daz deme Herren  
 "ledig wirt und ers ym nicht zu ym zibet hymen Iar und tag von de-  
 "me sy der herre ledig wortmer ber ihu danne syn unschuldt darzu daz.  
 "erz nicht en wisse daz es sinen herren ledig were., Conspirat huic  
 textui per omnia I. F. A. c. 15. : "Obe ein Man ein leben oder ein güt  
 "versmohet das ein Herre für ledig bet oder es Ime ledig ist worden  
 "Und der herre bet Ime gelobet das erste güt zu libende das Ime ledig  
 "wurde und benante yme nüt wye sil das sie Vordert yener nüt das le-  
 "ben in yore und tagen der Herre ist ledig vor den Mannen der Herre  
 "sol das güt behalten yore und tage unverwandelt das yme ledig wor-  
 "den ist. Mag der Man mit sinen einiges Hant bewysen zü den heili-  
 "gen das er nüt en wusse das das gut ledig was worden dem Herren  
 "der Herre sol es in luszzen genießzen und sol Ime das leben liben.,  
 Quod si iam vtrumque textum inspicias, I.) agi ibi animaduertes  
 de facta concessione feudi primum vacaturi, das dem Herren erst  
 ledig wird, hinc de expectatiua feudali, eaque generali; II.) eo  
 casu vasallo deberi feudum, quod primum aperitur, siue magnum  
 sit, siue exiguum, statuitur; quod autem III.) si vasallus recu-  
 set, nec intra annum et diem petat, ius vltierius ipsi non super-  
 esse, cauetur, addita IV.) exceptione, nisi se ignorasse, apertum  
 factum esse feudum, iuret. Qua igitur propter plane de nostra  
 quaestione, renouatione nempe inuestiturae feudi successione trans-  
 missi, fermo hic non est, sed potius de expectatiua in feudum aper-  
 tum; neque vox *verschmähet* vlla ratione de dolosa quadam vasal-  
 li animo, verum vnice de recusatione feudi primi vacantis accipi-  
 enda est.

a) In comment. de indole et natura expect. et inuestit. feudal. c. V. §. 114.



Aliud du-  
bium remo-  
uetur.

SIMILI ratione in suas partes vocat vir eruditus textum I. F. S. a. 22. in f. vbi: *“bittet der Herre aber deme man sin gut her sal ez alzubant eniphan oder her versumet sich daran. Wend der herre brichet ime sie jarzale mit deme biene alse sie der man lenget mit deme sinnen,* cui consentaneum est I. F. A. c. 44. §. 2. eodem modo et fere iisdem verbis disponens, vnde itidem adstruere studet, non nisi dolum intuitu amissionis feudi attendi voluisse nostrates. Enimvero, vt taceam, ne vlllo quidem verbo *doli*, aut *pravae intentionis* vasalli hic fieri mentionem, potius generalem loquutionem, *her versumet sich daran* adhiberi, quae, sicut alias in antiquioribus monumentis, et in primis etiam in hisce morum feudalium collectionibus, ita et in substrato de amissione *ob lapsum temporis* enuncianda et intelligenda erit, de plane alia specie, quam quae in nostra quaestione versatur, in dictis textibus agi, ego quidem putarim. Duplici nempe ratione inuestiturae renouationem ex moribus Germaniae confideratam esse deprehendimus: *primo*, si a vasallo *petatur*, quo casu eius *petitioni* annus et dies est praefixus, et de hac specie nobis iam sermo est, dum disquirimus, vtrum quouis modo intra annum et diem non *petita* renouatio, an dolosa tantum petitionis amissio iacturae feudi locum faciat? *secundo* autem, si sponte a domino vasallo *offeratur*, quo facto non annus et dies vasallo ad *inuestituram oblatam recipendam* integer est, sed dominus ipsi *interrumpere* dicitur terminum annalem, *bricht ihm seine Iabrzale*, et vasallus *in continenti*, *alzubant*, *inuestituram accipere* sub poena amissionis feudi obstringitur; et hanc speciem citatos textus innuere, clara eorum verba indicant. Vtramque speciem haut minus sollicitè distinctam iure Langobardico deprehendimus II. F. 24. pr. et §. 1., vbi prima causa amittendi beneficii esse dicitur, si intra annum



annum et diem vasallus inuestituram non petierit, a qua curate segregatur alia ingratitudo, si dominus inuestituram pollicendo vasalli fidelitatem petierit, eamque hic praestare detrectet. In priori igitur casu de *petitione* inuulturae a *vasallo* facienda, in *posteriori* contra de *accipienda inuestitura ipsa a domino oblata* agitur; *ibi petiti*o intra annum et diem facienda, *hic inuestitura ipsa statim*, ac oblata fuerit, accipienda est. Hinc plane diuersa a nostra quaestione continent textus adducti et sic huc trahi nullatenus possunt.

## §. XVII.

VERVM adhuc alia ratione dissentire video perill. BOEHMERVM, quod nempe praeter feudi iacturam et *multam* moribus Germanorum omniae inuestiturae petitioni statutam esse putat, eaque in primis culposam omissionem, dolosam contra priuatione feudi vindicatam esse arbitratur. Arcessit huc textum I. F. A. c. 93. §. 3.: "In der rechten yorezale so mag ein Man alles gewettes ledig sin das "uff In erteilet wurd vor dem Herren gegen dem die yorezale geburt "one do er selb engegen (zegegen) ist.", De multa quidem, in quam condemnatus sit vasallus, hic sermone esse verum est. Sed intelligi multam ob neglectam feudi petitionem in ipsum statutam equidem non crediderim, tum quod nusquam moribus Germanorum ipsam multa coerceri adpareat, potius vbique vnice amissionis feudi mentio fiat, eum quod et hic vasallus *intra terminum annalem* a multa solutus esse dicatur, illo autem adhuc currente propter omissionem petitionem feudi vasallus condemnari nondum queat, hinc nec a multa liberari dici possit. Clarius est dispositio I. F. S. a. 53.: "Binnen rechter jarzale mac der Man alle die gewette die "uf in irtheilet sind anc sine geinwerte entsagen ussen beiligen der berre "en behalte si demne uf in mit getzuge als hievor geredet is.", Ex

Num multa moribus Germanorum hic statuta sit, disquiritur.



quo adparet, a quavis multa vasallum liberari potuisse, si intra annum iuramento se purgauerit, nisi dominus, innocentem eum non esse, testibus probare potuerit. Qua propter prior ista I. F. A. sanctio de hoc termino annali vasalli ad purgationem suscipiendam in quavis multa relicto, non autem de anno petendae inuestiturae erit accipienda<sup>a)</sup>. Quodammodo illuc collineare etiam videtur ius feudale Langobardicum II. F. 22. pr., ubi de vasallo contumace, “quodsi neque venerit, statuitur, ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittat, et ideo debet curia dominum mittere in possessionem. Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio.” Accedit, quod ne multae quidem in neglecta renouationis petitione ex genio Germanorum locus esse queat. Hanc enim si vt laesionem domini, quae poenam meretur, consideres, prouti tamen ipsam nostrates secundum superius exposita vix considerasse dicendi sunt, laederetur ita dominus, tanquam pars in contractu feudali. *Parri* autem ex moribus maiorum non multa *Gewette*, sed *emenda Buße* datur, et illa non nisi iudici qua tali, nec etiam domino directo, nisi qua iudici feudali praestari legitur. Vid. I. F. A. c. 123. 126. seqq.<sup>b)</sup>.

a) Conf. SCHILTERI *commentar. ad ius feud. Alemann.* p. 274. (edit. 1728. fol.)

b) Vid. SCHILTERI *glossarium* p. 141. in EIVSD. *thesauro antiquit. reuonnicar.* T. III. et sic dicere consueuimus: *mit dem Tode wettet man dem Richter und bißet dem Kläger.*

## §. XVIII.

c) ex iure Langobardico, ubi I. non nisi iusta causa excusat.

PROGREDIMUR demum ad ius feudale Langobardicum. Quod quidem vt interdum, veluti II. F. 24. pr. et 40. pr., indefinite cauet, vasallum, qui per annum et diem inuestituram non petit, feudum



feudum amittere, non potest, quin et iuri patrio, ex quo omnino hocce institutum ad Italos pervenit, et principiis analogiae iuris communis supra expositis convenienter explicetur, et sic omnino de quacunque petitionis omissione intelligendum sit. Tantoque magis, quum generalibus terminis vti deprehendatur, qui et dolum et culpam complectuntur, et sic ad dolum vnicè restringi non possunt, vt potius lege non distinguente, nec iureconsultis distinguere liceat. Enimvero et directe satis, non solum dolum, sed quamvis petitionem neglectam iacturam feudi sequi, in ipso continetur. Huc *primum* referimus, quod et hic, perinde ac moribus Germanorum, simpliciter vasallus, petitionem inuestiturae negligens, feudo cadere dicatur, nisi iusta, eaque definita causa, quare hanc petierit, adfuisse dignoscatur. Ita ex constitutione Lotharii Imperatoris depromptus textus II. F. 22. pr. cauet: "*fancimus, vt nemo miles miles ultra annum et mensem vadat, vt inuestituram beneficii sui a filio, vel successore domini sui, vel patris sui, vel alterius, cui succedere debet, nisi iusta causa interuenierit, quare non petierit, veluti mortis, vel capitales inimicitiae, vel infantia, vel iusta absentia, et si non petierit, damnetur.*." Certe autem propria vasalli culpa ad iustas causas praecipue ex mente constitutionis quae impedimentum externum supponit referre nefas erit, et proinde, quum praeter iustam causam exceptam damnandus esse dicatur, nec in culpa existens poenam iure statutam effugere censendus est. Neque, quod pace magni viri dictum esse volo, perill. BOEHMERO<sup>a</sup>) accedere ausim, quod *aliam* iustam causam, impedimentum iniuicibile continentem, ab omni poena, *aliam* vero, cum qua culpa vasalli concurrat, saltem a priuatione feudi ex mente legum liberare, statuere velit. Sicuti enim iustae causae iure Langobardico nil aliter, nisi *iusta* impedimenta sunt, ob  
 quae



## XXIV

quae excusatus habetur vasallus, ita in ipsis ratione poenae, a qua liberare debent, tanto minus distinguitur, quum aliam, praeter priuationem, poenam ius Langobardicum ignoret, sicque ad hanc praecise euitandam iusta caussa legibus probata necessaria sit.

a) In disert. de inuest. simul. euent. non desiderata renouatione c. III. §. 69. 70. p. 78. f.

## §. XIX.

II.) Expresse culpa priuatione adficienda dicitur.

AST iure Langobardico ne quidem eiusmodi ratiociniis opus est ad euincendum hoc, quod non dolus solus in neglecta renouationis petitione priuatione feudi adficiatur, quum textum, qui diserte ita disponit, habeamus. Puta constitutionem Friderici I. Imperatoris II. F. 55. pr. in fine, vbi Imperator, *praeterea*, inquit, *si quis infeudatus maior quatuordecim annis sua incuria, vel negligentia per annum et diem steterit, quod feudi inuestituram a proprio domino non petierit, transacto hoc spatio feudum amittat, et feudum ad dominum redeat.* Ibi expressis verbis vasallus *incuria* vel *negligentia* petitionem omittens feudum amittere dicitur; quare, quum incuria certe et negligentia nil nisi culpam, minime autem dolum, denotare possit, explorata iam est circa omnifam renouationis petitionem iuris Langobardici sanctio, et dolum, et culpam priuatione feudi puniri.

## §. XX.

Nec obstat textus II. F. 52. §. 3.

quo grauior autem huius textus diserta dispositio aduersae sententiae defensoribus visa est, eo maiorem operam ac diligentiam in eneruando ipso, eiusue auctoritate destruenda collocare coeperunt. Oppositum ipsi praecipue deprehendimus textuum II. F. 52. §. 3., cuius sanctione illius valori et auctoritati detrudere adlabora-



laborarunt. Sed primo loco, minime contrariam videri posterioris textus dispositionem nostro allegato textui liceat monere. Is nempe, constitutionem Lotharii Imperatoris complectens, ita se habet: "*Quoniam inter dominum et vasallum nulla fraus, nec ullum malum ingenium debet intervenire, ideo per hanc praesentem legem sancimus, si vasallus non dolose per annum et diem steterit, quod a domino sui beneficii inuestituram non petierit, feudum non ob hoc amittat; dolus enim abesse videtur si iusta causa impediente steterit.*" Primo omnino intuitu praeter dolum priuationis poenam non admittere videbitur, quum, si vasallus non dolose steterit, feudum eundem haut perdere, sanciat. Enimvero generatim voces: *culpa* et *dolus* non adcurate adeo, uti alias in iure solent, iure Langobardico accipi, notari meretur. Sic *culpam* pro quouis crimine, propter quod feloniae reus existit vasallus, venire, multis locis deprehendimus: II. F. 21. inscribitur: *de feudo sine culpa non amittendo* et cauet: "*sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa benescium suum amittat.*", similiter II. F. 24. §. II.: "*denique saepe quaesitum est, vasallo propter iustam culpam a feudo cadente, utrum ad dominum, an ad successorem vasalli beneficium pertineat.*", et II. F. 26. §. 17.: "*si vasallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, &c.*" Eademque ratione in textu proposito verbum doli proprio illo significato, quo alias eodem utimur, haut venire, per sequentia verba declaratur, quibus tunc non dolose omisisse petitionem censei vasallum, explicat Imperator, *si iusta causa impediante steterit*. Ut igitur omnis defectus iustae causae impediens ad dolum relatus esse videatur, et hinc e converso, *si iusta causa non adfuerit*, feudum amitti ex mente etiam huius constitutionis, statuendum sit. Quo minus autem culpa vasalli quaecunque iustam causam efficere valet, eo minus ipsa hoc

D

textu



## XXVI

textu a priuatione feudi exclusa dici potest. Hac quoque ratione egregie hic textus textui I. F. 22. pr. respondet, cui tanto magis conuenienter explicandus est, quum vterque eundem auctorem referat, et ex constitutione Lotharii II. Imp. desumptus sit.

## §. XXI.

Nec, si ob-  
staret atten-  
dendus foret.

AST si vel ponas, quod negauimus, textum hunc antea allegato textui aduersum esse, nec ita rem nostram adstrictam esse putauerim. Equidem BAVERO <sup>a)</sup> ad stipulari non audeo, quod textus II. F. 55. exhibeat constitutionem Germanis latam, sicque omnino prae altero textu II. F. 52. praeualeat, qui constitutionem Italis datam tantum complectitur, cuius sententiae errorem optime demonstrauit perill. BOEHMERVS <sup>b)</sup>. Verum, quum constitutio in II. F. 55. obuia Fridericum I. Imperatorem agnoscat auctorem, ea autem, quam II. F. 52. legimus, a Lothario II. proficiscatur, ista manifesto hac posterior et iunior est. Qua propter quum semper lex posterior derogat priori, et in pugna igitur vteriusque posteriorem sequi debeamus, facile vides, etiam si textus II. F. 52. aduersus foret, ipsum tamen recte contra textum posteriorem et iuniorem II. F. 55. haut attendi, sed hunc potius, superhabito illo, pro norma accipiendum esse.

<sup>a)</sup> In cit. dissert. §. 57.

<sup>b)</sup> In comment. de indole et natura expectat. et inuest. feud. c. V. §. 120. p. 190. seq.

## §. XXII.

Remouetur  
obiecchio.

OBICERE quidem perill. BOEHMERVM <sup>a)</sup> memini, in iure peregrino recepto, aut, si manus, introducto, non tam in plurimum textuum pugna quis prior, quis posterior sit, sed vnice, quem receperint nostrates, quisue indoli feudorum et moribus Germaniae



niae adrideat, inspiciendum esse, quo posito iam textum II. F. 52. magis feudis et moribus patriis conuenire euincere studet. Sed vix admittendam esse arbitramur regulam propositam, quum in iure Langobardico non de receptione *singularum* sanctionum agatur, sed vniversus consuetudinum feudalium liber in folle, eadem, qua Ius Romanum, ratione, sub decimae nouellarum collationis specie receptus esse dignoscatur. Quo iam facto, non vna alteraue tantum sanctio, sed omnes et singulae receptae dicendae sunt, et valere debent, donec abrogatio aut non vsus probatus fuerit. In earum autem, si qua est, pugna, praesentim in conflictu plurimum constitutionum imperialium cum legali auctoritate promulgatarum non possumus sane regulam communem naturae conuenientem haut sequi, priorem per posteriorem esse sublatam. Atque, dum eodem cum Iure Romano receptionis fauore gaudeat ius feudale Langobardicum, quodue magis est, vt pars eius in receptione spectatum fuerit, rationem diuersitatis me quidem non dispicere fateor, quare non eadem huic adplicanda sit regula, qua in illo semper vti consueuimus, eademque ratione, qua codicem et nouellas pandectis praefereimus, et nouior in hoc constitutio antiquiori anteponenda sit.

a) In *comment. cit.* §. 120. 121. p. 191. seq.

§. XXIII.

VERVM nec adplicationem regulae ab erudit. BOEHMERO propositae sententiae aduersae multum prodesse putarim. Qualitatem feudorum Germaniae ceu oblatorum, in quibus durior Fridericiana sanctio recipi non potuerit, vrsisse quidem ipsum, deprehendo. Sed, vt taceam nec omnia Germaniae feuda oblata dici posse, nec, iuxta tritum illud iuris feudalis consultorum, feudi oblati

Continuatio,



## XXVIII

qualitatem minimam iurium diuersitatem operari, reuera istum rigorem, ob petitionem quomodocunque neglectam feudum amitti Germanis placuisse, mores feudales mediae aetatis supra expositi testantur, quos certe, quum ob solum lapsum temporis vasallum feudo cecidisse statuunt, nec doli nec culpae admittere distinctionem, commonstrauimus. Quare tantum abest, vt dispositio textus II. F. 55. moribus Germaniae aduersa dici queat, vt potius, secundum ipsos idem plane obtinere, hinc eosdem cum allegato textu optime conspirare, constet.

## §. XXIV.

De auctori-  
tate vtrius-  
que textus  
quaedam.

APVD Italos ipsos nec constitutionis Friderici usum fuisse diu-  
turnum adhuc infert celeberrimus BOEHMERVS \*) ex eo, quod in  
capitalis extraordinariis, quae usum usum feudorum in Langobar-  
dia ex moribus seculi XIII. exponant, tit. 97. adhuc repetita de-  
prehendatur Lotharii constitutio. Enimvero praeter quam I.) non  
de usu feudorum Italicorum, sed Germanicorum tantum sermo sit,  
in quibus autem non nisi ordinaria capitula recepta sunt, nec II.)  
intuitu Italiae aliquid efficiunt capitula extraordinaria, si quidem *ceu*  
*capitula extrauagantia alterius cuiusdam compilationis, collecta tan-*  
*tum, vt allegari possint sub certo titulo*, vt ipse ait eorum collector  
*priuatus*, IACOBVS AB ARDIZONE \*\*), nec ibi ullam auctoritatem na-  
cta sunt, atque nec usum, nec non usum capitulorum ordina-  
riorum euincere queunt. Vnde III.), solam repetitionem sancti-  
onis Lotharii, non usum alterius constitutionis Friderici probare,  
multo minus ego quidem crediderim, praecipue si IV.) id respi-  
cias, quod antea exposuimus, nec illam quidem huic aduersam  
dici mereri, sed vtramque optime conciliari. Potius V.) et MIN-  
CVCCII ET BARATERII compilationes nouiores seculi XV. constitu-  
tionem



tionem Friderici omnino repetunt <sup>a)</sup>, caeque sic tanto rectius constantem eiusdem in Italia usum euincere dicendae sunt, quanto maiore ambae isto aevo apud Italos polluerunt auctoritate. E contrario VI.) auctoritas et ipsa fides constitutionis Lotharii II. F. 52. §. 3. haut parum sublesta videri posset, quum apud MINCVCCIVM <sup>d)</sup> ad ipsam glossa exstet IACOBI COLVMBINI: "Et notes quod haec l. et l. "fatis de form. fidelit. (II. F. 52. §. 2.) inuenitur in paucis libris seu "consuetudinibus feudorum. Vnde, quia dubito, vtrum sint leges, vel "non, circa eas non insisto., Cui argumento insigne pondus ex auctoritate COLVMBINI satis nota non potest sane, quin accedat, et proinde si alterutra impugnanda sit sanctio, potiori certe iure constitutio Lotharii impugnanda foret.

a) l. c. p. 193.

b) In *Summa feudorum Colon. 1569. p. 210.*

c) Vid. MINCVCCIVS DE PRATO VETERE *de feudis L. IV. c. 5. BATERII libellus feudorum reformatus T. X. c. 8. ex edit. SCHILTERI.*

d) l. c. n. i.)

§. XXV.

TANDEM adhuc analogiam iuris Langobardii a perillustri BOEMERO oppositam animaduerto <sup>a)</sup>. Nempe quum isto iure non quaelibet occasio, per quam fidelis accepti beneficii videtur ingratu ad priuationis poenam infligendam sufficere, sed quaedam *egregiae* ingratitude causae esse dicantur, quibus beneficium secundam mores curiarum adimi soleat <sup>b)</sup>: pro egregia ingratitude non, nisi dolosam petitionis amissionem haberi posse, concludit vir celeberrimus. Quumque porro priuationis feudi causas ex norma causarum iustae exheredationis, repudii et reuocandae ob ingratitude donationis ius Langobardicum aestimari velit <sup>c)</sup>, in hisce

Nec analogia obest.



speciebus autem semper dolus supponatur, nec aliter, ac propter dolum neglectam petitionem priuationi ansam praebere, infert. Aft I.) tunc demum, vbi aut lex et obseruantia deficit, aut dubia esse deprehenditur ad analogiam recte prouocari generatim, moneo, cui autem aduersus expressam sanctionem, ad eius euertendam auctoritatem locus esse potest nullus, sed vnice ex lege est petenda decisio; quare et in neglecta feudi petitione, quum non tantum clarae leges indistincte priuationem feudi statuant, sed etiam expresse, nisi iusta adfuerit causa, semper feudum amitti, enuncient, immo, siue incuria siue negligentia omissa sit petitio, nil interesse sanciant, sane ad contrarii probationem analogia iuris ne allegari quidem valet. Deinde II.) minime *egregia* ingratitudeinis causa dolum et fraudem supponere, potius nil nisi causam *praecipuam* iure notatam inuoluerere dicenda est; vnde et III.) Obertus ab Orto, postquam egregiam ingratitudeinis causam requiri dixerat, statim, primam causam esse, si vasallus intra annum et diem inuestituram haut petierit, *indistincte* addit <sup>d</sup>). Denique IV.) exheredationis, repudii et reuocandae donationis analogia, sicuti generatim in iis tantum feloniae speciebus, in quibus illarum simile aliquid deprehenditur, adhiberi potest sicque neglectae petitioni vix quadrat, ita nec propterea aliquid facere valet, quum, si vel maxime in illis supponatur dolus, hic tamen eius praecise rationem habere noluisse viderimus leges.

a) l. c. §. 115.

b) II. F. 23. pr.

c) II. F. 24. §. 9.

a) II. F. 24. pr.



## §. XXVI.

IN tam amico iuris vtriusque Germanici ac Langobardici contentu non potest sane, quin firmissimo stet pede thesis, citra doli et culpae respectum feudum propter neglectam petitionem indistincte amitti. Nec vel de vsu forensi et doctorum opinionibus quaestio esse potest, quum et ille et haec, etiam si in contrariam partem vergere dignoscantur vix contra expressas leges attendi debeant. Enimvero, quod veteri iuri Germanico pariter, atque Langobardico incognitum fuit, nouiter passim indulgentia vnice dominorum directorum introductum est, culpofam petitionis feudi omissionem multa tantum puniri. Ita in quibusdam territoriis expressae constitutiones prouinciales benigniores cauent, vti, exemplo, quum ob scriptionis limites plures recensere supersedeam, *transactio Mecklenburgica anni 1755. §. 447.*, tamen, quod notabile est, sic a communi iure diuertium fieri, probe agnoscens: "Wann die Lehn-Muthung aus einem Versehen nicht zu rechter Zeit gesucht, oder versümet, oder sonst ein Lehnfehler ohne Vorsatz begangen ist: so sollen die Lehne nicht nach der Strenge der Lehnrechte deswegen für caduc und Unsrer Lehn-Cammer heimgesallen geachtet, sondern es soll das befundene Versehen mit einer mäßigen Geldstrafe von fünf, zehn, bis zwanzig Reichthalern gebüßet werden.," Alibi, deficiente licet lege, vsu forensi in vim consuetudinis aduersus ius commune idem seruari deprehendimus, quo facto ex tali consuetudine iudicandum et respondendum esse, nullum est dubium. Interim vero quum obset ius commune, ad quod qui pronocat, fundatam habere dicitur intentionem, I.) talem consuetudine non praesumi, deque ea si haut constat, nec lex adfit prouincialis secundum illud semper pronunciari debere, statuendum esse putauerim, sicuti et II.) talis lex et consuetudo

De vsu ho-  
dierno.

non



non potest, quin stricte intelligatur, atque in primis, quum lata culpa in contractibus et causis ciuile, quod dicunt, interesse concernentibus in iure pari censu cum dolo aestimetur, in dubio de leuiori tantum culpa accipiatur, tandem III.), si qua neglecta petitio aliquando multa tantum, non priuatione notata dignoscitur in dubio haut ex *iustitia et necessitate*, sed ex *gratia* vnice ita factum dicendum est.

a) Vid. perill. STRVBEN *rechrl. Bedenken T. II. p. 335. f.*

## §. XXVII.

Indictio lectionum.

SED iam pro instituti ratione sufficiant isthaec, et ad indicandas, quas ita comitari volui, hibernas lectiones accedo.

Absolutis nempe feliciter semestri aestiuo elapso *iuris publici feudalis, germanici priuati et historiae imperii nostri* scholis, per hibernum, quod ingredimur, semestre omni fide et sollertia tradam: h. VIII. *ius Germanicum publicum* ductu perill. PVETTERI h. IX. *ius canonicum* ad filium perill. BOEHMERI *principiorum*, h. X. *ius feudale* eodem perillustri viro praecunte, et h. III. *ius Germanicum priuatum* secundum generos. SELCHOVII libellum. Neque suauissimis commilitonibus denuo *historiae imperii Germanici* expositionem poscentibus me defuturum lubens polliceor.

Scribebam in academia Fridericiana d. V. octobris anno 1811.













Buetano, Diss., 1761-71

ULB Halle

002.507.838

3



7  
5b.









22

F. 11, num. 16.

18

PETITIONE

RENOVATIONIS INVESTITURAE

QVOVIS MODO NEGLECTA

1771, 2

FEVDVM AMITTI.

P. 342

PROLVSIONE

APERIENDIS SCHOLIS HIBERNIS PRAEMISSA

DISSERIT

GVILIELMVS AVGVSTVS RVDLOFF

PHILOS. ET IVR. DOCTOR ATQVE SERENISS. DVC. MECL. PROFESSOR ORDINARIVS NEC NON COLLEGII IVRECONSVLTORVM ASSESSOR IAM ACADEMIAE FRIDERICIANAE RECTOR.

BVEZOVII

IN LIBRARIA BERGERIANA

clbcccclxxi.

